



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XII. De utilitate adversitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Resiste in principio inclinationi tuæ, & malam dedisce consuetudinem : ne fortè paulatim ad majorem te ducat difficultatē.

O si adverteres quantam tibi pacem, & aliis lætitiā faceres, te ipsum benè habendo; puto quòd sollicitior esses ad spiritualem profectum!

C A P U T XII.

De utilitate adversitatis.

I. **B**ONUM nobis est, quòd aliquando habeamus aliquas gravitates & contrarietates; quia sæpè hominem ad cor revocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliqua re mundi ponat.

Bonum est, quòd patiamur quandoque contradictores, & quòd malè & imperfectè de nobis sentiatur, etiam si benè agimus & intendimus. Ista sæpè juvant ad humilitatem, & à vana gloria nos defendunt.

Tunc enim meliùs interiorem testem Deum quærimus, quando foris vili-

vilipendimur ab hominibus, & non benè nobis creditur.

2. Ideò deberet se homo in Deo taliter firmare, ut non esset ei necesse multas humanas consolationes quærere.

Quando homo bonæ voluntatis tribulatur, vel tentatur, aut malis cogitationibus affligitur: tunc DEUM sibi magis necessarium intelligit, sine quo nihil boni se posse deprehendit.

Tunc etiam tristatur, gemit, & orat pro miseriis, quas patitur.

Tunc tædet eum diutiùs vivere, & mortem optat venire: ut possit dissolvi, & cum Christo esse.

Tunc etiam benè advertit, perfectam securitatem & plenam pacem, in mundo non posse constare.

C A P U T XIII.

De tentationibus reprimendis.

I. **Q**UAMDIU in mundo vivimus, sine tribulatione & tentatione non esse possumus.

B

Unde